

reicistis. Quapropter omnis qui viderit coram posita
 iocunditatem, laudet præteritam festinationem. Con-
 venit dispositionibus vestris rapta de adversitate se-
 curitas. Ante decuit nostrum fieri, quod taliter libe-
 rat ornari. Ego autem ut horum modo visione non
 perfruar, et quæ causa faciat, et nobiles patroni, et
 quales arbitri, etiamsi taceatur, advertitis. Aposto-
 rorum namque festiuitas Viennensibus quidem vestris
 inter annum martyrium dies peculiari studio vivit.
 Habeo præsentiam tempori, quo diei passionis fa-
 bricula quam nostis videtur iuncta esse dedicatio
 virorum, quia nihil est ad quod animum meum ve-
 ster destinare non possit affectus. Excusans plebi-
 cula absentiam, meam antepouerem consuetudini
 singularitatem, nisi, ut nostis, in ip-sis pœnitentibus
 nostris fervor appetens vitium vicinum diu formaret
 atque strepitum; cum e nostris ambitio aliquos, alios
 sollicitudo adolescentior, multos gula tractura sit.
 Veritus sum ne forte si vel paucos qui forent quos
 aliena declinantes, suæ magis festiuitati studium
 mansuetudinis aggregaret, apud aliquos animus, ut
 solet in tali turbatione, motus isti quasi per absentiam
 meam, eo die cursus nostræ devotionis putaretur
 omitti, quo diversæ partes videbantur institui. Unde
 excusationem meremur. Si rationem rite agnovistis,
 ignoscite, communem festiuitatem præteritorum re-
 cordatione, præsentium plenitudine cognoscite, tam

absentium est quam præsentium officii celebrate (sic).
 Confido de misericordia Dei nostri quod etiam mihi
 in hoc loco quandocunque opportunius verbi præsta-
 bit aditum, quibus geminatæ consecrationis oratio-
 rein concessit effectum.

EPISTOLA III.

BEATI AVITI EPISCOPI AD STEPHANUM EPISCOPUM.

Avitus episcopus Stephano episcopo.

Post sanctam festiuitatem, quam licet avidi atque
 anxii, vestro tamen interuentu divinaque tuitione
 transivimus, debito famulatus obsequio ac sedulæ
 sollicitudinis devotione servimus, quidquid illud no-
 biscum meritæ asperitatis est, solari vestræ, quam
 Deus semper augeat, prosperitatis agnitione cu-
 pientes.

EPISTOLA IV.

AVITI EPISCOPI AD GREGORIUM EPISCOPUM.

Avitus episcopus Gregorio episcopo.

Meis potius ascribo peccatis, quod vos ad dispo-
 sitionem piissimæ voluntatis corporis inæqualitas im-
 pedivit, quanquam consueta dignatio oratione nos et
 oblatione comitata sit. Unde salutationis officia pa-
 gina famulante persolvens, supra quam sermone va-
 leo gratias ago, quod festiuitatem nostram pleno vos
 desiderio sitientem, etiam si non satistis præsen-
 tia, refecistis expensa.

FRAGMENTA LIBRI DE DIVINITATE SPIRITUS SANCTI.

Sanctus Avitus in illo libro quem de Divinitate Spi-
 ritus sancti contra Gundobadum Arianum regem scri-
 psit, processionem Spiritus sancti a Patre et Filio ita
 declarat.

^b De divinitate Spiritus sancti, quem nec factum
 legimus, nec genitum, nec creatum, Deus est, Deus
 qui operatur omnia in omnibus. Et eodem loco:
 Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus,
 et videns singulis prout vult (I Cor. xii, 11). Et Petrus
 in Actibus apostolorum: Quid convenit, inquit, inter
 eos mentiri Spiritui sancto (Act. v, 3)? Et post: Non
 es mentitus hominibus, sed Deo (Ibid., 4). Item alio
 loco: Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei
 habitat in vobis (I Cor. iii, 16)? Et alibi: Si quis Spi-
 ritum Dei non habet, hic non est ejus (Rom. viii, 9).
 Nos vero Spiritum sanctum dicimus a Filio et Patre
 Procedere.

IDEM AVITUS IN EODEM LIBRO.

Ipsæ certe per se Dominus, Spiritum, inquit, veri-
 tatis qui a Patre procedit (Joan. xv, 26). Enimvero

non dicendo *processit*, sed *procedit*, non tempus pro-
 cedentis docuit, sed præterito futuroque submoto,
 sub interminabilis æternitate præsentia virtutem pro-
 cessionis ostendit; ut sicut est proprium Spiritui
 sancto a Patre Filioque procedere, istud catholica
 fides, etiamsi renuentibus non persuaserit, in suæ
 tamen disciplinae regula non excedit.

ITEM AVITUS.

Spiritum sanctum æque Patris et Filii esse confi-
 teor, eumque a Patre vel Filio similiter mitti: quod
 mecum prolata quoque Apostoli sententia videtur
 approbasse. Nam legimus: *Paraclitus, quem mittet
 Pater in nomine meo* (Joan. xiv, 26). Et alio loco:
Quem ego mittam vobis a Patre (Joan. xv, 26). Nec
 tamen ut nuper habita collatione tractavimus,
 scinditur una personarum discretione Divinitas. Quia
 si Spiritus, ut acquiescitis, a Patre Filioque vel mit-
 titur vel procedit, non potest missus mittensque
 misceri, et ex quo procedit procedensque confundi.

^a Vir clariss. Stephanus Baluzius in Miscellan. lib. 1
 hæc fragmenta edidit ex veteri codice ms. monaste-
 rii Sancti Galli in Helvetia.

^b Vide supra Alcimi operum fragmenta num. 13.
^c Ea collatio est quæ sequitur.